



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam  
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna  
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

**Vastovius, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.**

Lifdagus Episcopus M.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38534**

LIFDAGVS EPISCOPVS ET  
MARTYR FLORVIT AN. CHRISTI 946.

AGAPITO II. Pontifice. CONSTANT. Imper. EMVNDOR.

**L**OSTQVAM ad superos euolasset B. Vnno voluntate  
Ottonis Regis, suffectus est Adaldagus in Archie-  
piscopum Brem. genere illustris, ætate iuuenis, ve-  
rum tamen per omnia industrius. Hic primam sibi  
religionis conseruandæ propagandæq; curam fuscipiendam  
putauit. Qua in re Ottonis Regis familiaritate fretus quascū-  
que emergetes facile superauit difficultates. Amundus quoq;  
Gottorum Sueonumq; Rex Erici filius, Haraldo Daniæ Regi  
Christiano confæderatus Christianis eo venientib. placabilis  
fuit. Itaq; ex legatione sua Lifdagus quæ progentium salute  
primo à prædecessoribus suis suscepta fuerat hoc emolumēti  
habuit, vt quod alii in lachrimis seminauerant ipse messuerit  
in gaudio; pluriūm interim sollicitus totoq; animi deside-  
rio incensus æstuabat, id ad effectum deducendi quod reli-  
gioioso conceperat affectu.

Quocirca Lifdagum oriundū Frisia inter alios Apostolicæ  
dignitatis viros Adaldagus in Præsulem Ordinatum Sueoni-  
bus, Danis, Normannis præfecit, prædicandiq; illi commisit  
prouincia. Et vero cum nullæ adhuc certæ Episcopis consti-  
tutæ essent sedes ob persecutio[n]es passim ingruētes vel ad ha-  
bitandū securæ, quisq; plantandi studio Christianismi in ul-  
teriora progressus verbum Dei tam suis quā alienis prædicare  
certabat. Sic sane vir sanctus zelo Diuino feruens prouincias  
sibi creditas solerter obiuit, verbumq; salutiferum Dei in a-  
gro cordis humaniserēs multos Christi Ecclesiæ aggregauit.  
Dumq; in dies populum cœlestis doctrinæ adminiculo multi-  
plicaret, & ipse vitæ sanctimonia iter cœlestis Regni cōmon-  
straret; Spiritum tandem profuso sanguine pro Christi reli-  
gione reddidit, ab infidelibus in Ciuitate Ripensi trucidatus,  
Anno salutis humanae Nongentesimo quinquagesimo, mul-  
tis post mortem clarescens miraculis.

De eo Adam. Brem. lib. 2. c. 16. Abbas Stad. pag. 110. qui mortem eius refert in  
annum 984. Albert. Crantz. in sua Metrop. lib. 3. c. 17. 26. C. 40.

B 4 ODIN.

*Adaldagus  
Bremensis Ar-  
chiepiscopus.*

*Lifdagū creat  
Episcopum &  
propagando  
Borealis Eu-  
angelio præ-  
cit.*

*Ripe in Dania  
martyr occum-  
bit.*